

FVNVS
EXIMIAE MATRONAE
ANNAE MARIAE
NATAE MAVSIAE
VIRI QVONDAM
MAGNIFICI PERILLVSTRIS ET
EXCELLENTISSIMI

IO. GEORGII DOEHLERI

I. V. D.

A CONSILIIS CELSISSIMORVM COMITVM
RVTHENORVM COMMVNIONIS
IVNIORIS LINEAE CANCELLARII SACRI SENATVS PRAESIDIS
ILLVSTRIS RVTHENEI PRIMARII CVRATORIS

RELICTAE VIDVAE

AD VESPERAM DIEI XVIII. MARTII A. R. D. 1700 LIII,

MODESTE FACIENDVM

PIETATIS ERGO

INDICIT

ILLVSTRIS RVTHENEI COLLEGIVM.



G E R A E

EXGVD. IO. GE. SCHRADERVS, CELSISS. AVLAE CHALCOGRAPHVS.

Biogr. ernd.
D. 206,30.

V. 17. Februar 1700



uae proxima vespera sepulcro mandabitur, beatissima M A T R O N A , per mirabiles DIVINI N U M I N I S vias deducta, reperit omnino, cur applicaret sibi S E R V A T O R I S illud optimi maximi, quo caeli porta proponitur angusta viaque compressa, per quam ut incedamus, luctando sit opus. Utique, numquam non amara dulcibus admista sensit, ac per angusta penetravit ad augusta; siue mentem, siue corpus, siue fortunam spectemus. Vitae curriculum testis erit. Augusta quidem est res publica Francofurtana, cuius in moenibus, IPSA lucem hausit primam, sed, cum fatuis ignibus, immo flammis infernis, comparandam; ni diuinā misericordia collustrasset. Genus habuit honestum. Pater fuit IO. A D A M V S M A V S, liberae Francofurtanorum ciuitatis quaestor, aut censui praefectus, cuius in altera coniugio, ANNA L V C I A , nostram primam edidit, A. C. D. clo. 1588. d. VIII. vel, ad iam visitatam rationem, d. XVIII. Octobris. Erat et illa natu maxima filia I E R E M I A E A V T H A E I , senatoris ac mercatoris Francofurtani, nec non A N N A E M A R I A E , quae, celeberrimum quondam doctorem et architectum militarem, D I L L I C H I V M patrem coluit. Peperit haec, post A N N A M L V C I A M , A N N A M E L I S A B E T H A M , haud ita pridem, summa senectute, defunctam, et C H R I S T I N A M E L I S A B E T H A M , illustri generosissimoque de R O M M E R S K I R C H E N , olim nuptam. Eadem auia materna, primam suam optatissimamque neptem, cum, quo die nascebatur, in templo de patribus non calceatis appellato, tingeretur, more Francofurtanorum, vel sola, de fonte sacro suscepit; suoque nomine donauit. Ostendit hoc ipsum, tum amabilem gloriam, ad quam euecta fuerit, nunc caeli terraeque D O M I N O despensa; tum quot, et quam amara degustanda, priusquam, omnibus numeris absolutae beatitatis ad commoda, pertingat. Bonorum et malorum permixtionis, plurima simul nanciscebatur ac proxima, paternis in aedibus, exempla. Familia fuit amplissima. Viuebant enim adhuc, de quatuor ex H A G E M A N T E L I A liberis, filii duo, I O A N N E S , qui, mercator, iuuensis obiit, et I O A N N E S H E C T O R , qui, sacrae dioecesis a consiliis, apud Hamelenses, inde floruit. Germanos autem fratres duo vidit, G E O R G I V M C H R I S T I A N V M , a senatus civilis et facri Francofurtani litteris, et I O A N N E M P H I L I P P V M ; sorores septem, S V S A N N A M E L I S A B E T H A M , L V C R E T I A M , R E B E C C A M , S V S A N N A M M A G D A L E N A M , A N N A M E L I S A B E T H A M , M A R I A M M A R G A R E T A M , et C H R I S T I N A M E L I S A B E T H A M . Ex his omnibus, non nisi duae natu minima succreuerunt: quarum altera, I O. L V D O V I C I W A S S E R F Ü H R E R I mercatoris Francofurtani vidua, secundo nunc anno, beata quiescit, altera virgo viuit hodieque. Cum igitur tot liberi nascerentur, tot sorores, natu minor fratum Germanorum, maiorque consanguineorum, decederent: utique, prima iam in pueritia, reperit N O S T R A , cur laetitiae lacrimas adfunderet, quam creberrimas. Accedebant continui prope tam numerosae familie morbi, continuam natu maxima filiarum opem exigentes. Interim ipsa quoque formabatur, ab idoneis magistris, non ad linguas solum et artes, elegantiori sexui conuenientes; sed vel maxime veram ad religionem: quae quidem hoc magis necessaria fuit accuratio institutio; quia tot, aliis addicti sacris, versantur et habitant Francofurti. Tanto simul magis iuuit exercitatio, cum contemplatione connexa. Eadem inuestigatio virium et explicatio, prout vires creuerunt, augebatur. Pertinet huc mors, amantissimi carissimique parentis, *ἀποτληξία* correpti, repentina. Vidua nunc mater educationis curam hoc intentius duplicabat, et eo patientius animum accommodabat disciplinae filia; quo magis aliis praesidiis vtraque destituebatur. Emicuit inde virtus excellentissima; quae D O E H L E R V M quoque traxit, accendentem de longinquo. Tunc, Isenacensium in aula, litteris secretis scribendis, intuigilabat frater N O S T R A E , I O. H E C T O R . Huic ergo viduus ille, cum solus regendae familie partes sustinere non posset, ipsique penes Francofurtanos alia conditio commendaretur, ut eam propinquius exploraturo, viae se comitem preeberet, persuasit. Maternam domum diuertuntur; ubi vix visam D O E H L E R V S commendationibus omnibus praefert, omnemque lapidem mouet, quo voti damnatur. Adnuit, post ardentissimas preces, sinceraque suorum consilia, modestissima virgo: pacta coniugii signantur,

tur, quibus, praeter matrem et fratres, **G V . S O L L I C O F F R E** d' ALTENKLINGVEN, **I A C . de F E L S** aliique testes, subscribunt: ac nuptiae celebrantur, d. XXI. Nou. anni c15 15CC X1111. feliciores. Ambo coniuges, quae laudatis in paetis promittuntur, cupidissime viui praestiterunt. Lubenter in primis linquebat recens nupta suos, ac maritum sequebatur Isenacum, vbi tunc, actu simul inter amicos Hassorum principis prouincialis, iudicia nobilium aliquot curabat, plurimaque caussas, in omni Saxonum principis foro, dextre defendebat, cuius erat socia, juris consultus. Idem quatuor, octo de liberis prioris coniugii, superstites habebat, **V A L E N T I N V M S I G I S M V N D V M**, iam cel. Solmenfium comitum a consiliis, **C H R I S T I N A M S O P H I A M**, nunc 10. **S A M . G V N T H E R I**, A. M. Glauchensium archidiaconi et pastoris, vxorem, 10. **G O T T F R I D V M**, deinceps in adolescentia mortuum, et 10ANNETTAM WILHELMINAM, **S A M . G O T T L I B I I R A N I S**, apud Isenacenses medici doctoris, coniugem. Horum praesertim posteriores adhuc erant teneri, curamque maternam desiderabant. Ipsa vero, quamuis quadruplici partu numerum eorum augeret, omnibus tamen ac singulis, aequalem fidem, amorem, curam, vigilantiam impendebat. Hic admodum profuit, plures inter liberos educari: quod enim egerat natu maxima soror; eo matri facilius erat exercitatae. Verum enim vero, cumulabatur solicitude sollicitudine: dum perquam inconstantia videbantur, ipsam quae quatuor in diuersis locis pueroram fecere, mariti fata. Isenaci peperit, anno c15 15CC XVI. d. XXV. Iul., **I A C O B V M H E C T O R E M**, post decem et quatuor hebdomades defunctum. Habitabant ibidem, Hassiaca quae dicebatur, in domo, singulari iurisdictione munita: neque minus, serenissimus Hassiacae familie senior tutum praestiterat suauissimum maritum, ab omnibus aduersariorum petitionibus; vt, et fratri natu minimo 10. **L V D O V . D O E H L E R O**, et 1V N C K E R O I. V. L. hodieque viuo, cauſas, crebrioribus profectionibus impediti nomine, quod antea negabatur, defendere liceret. Sed, florentium ita rerum gratiam, eadem itinera perquam, in animo sollicitae, minuebant; cum, et absentis, et duplex rei domesticae cura, quasi perpetua foret. Hinc tanto facilior erat, anno sequenti, mutatio: cum dux prouidentissimus **E R N E S T V S L V D O V I C V S**, eximiis paeconis et promissionibus, **D O E H L E R V M** Meinungam inuitaret, vt, in fraterna communione, consiliis suis, aulam iustitiamque fulciret. Ceterum, et hic admiscebatur acerbitate, a dulcissimo fratre, totque mariti necessariis, sciunctio. Nec itinera multum cessabant. Habebat adhuc litium Hassiacarum, de succedendi iure, publicis conscriptionibus defensarum, curam **D O E H L E R V S**, a serenissimo **F R A N C I S C O A R N O L D O**, Paderbornensium antistite, quo cum litterarum erat commercium, traditam. Eaediumque, non modo profectiones, sed omnino peregrinationes, requisiuerunt. Miscebantur grauissima negotia, publici Meinungenium status, domi meditanda: neque difficultates effugiebat, iustitiam singulorumque salutem, omnibus aliis finibus paeferens. Nescit quam particeps sit fidelissima coniux mariti sortis, qui, qua re moneamus illud, ignorat. Interim et ibi, c15 15CC XVIII. d. XXII. septembris, perquam faciliter, semper habitura facillimam, edidit **A N N A M E L E O N O R A M L V C I A M**, faxit **D E V S** quam diutissime laetissimeque, superstitem! At, nec haec erat adeo sincera voluptas, quin actutum nubila sequerentur. Die nimirum decimo decembris, indicabatur optimo patri, futurum vt, fisci penuriae cauſa, primo sequentis anni vere, stipendiis constitutis excideret. Succurrebat tamen, velut ex machina, **D E V S**: dum, eiusdem mensis die XXII., ab **E R N E S T O F R I D E R I C O** duce, Hildburghusam inuitabatur, vt ibi consiliis suis aulam, iustitiam remque sacram, iuuaret, et, in academico gymnasio, iurium professoris munere fungeretur. Eodem tempore vocabatur alio, quo iudiciale palatium et forum, cancellarium dicunt, dirigeret; et, pluribus clementissimis epistolis, ab **A N T O N I O V L R I C O**, detinebatur: occasionem autem Hildburghusanam ipse paeferebat. Cum deliberatio, tum mutatio, nouam pariebat amantissimae sollicitudinem: nec praeter cauſam; afflictionibus enim occurrabant grauioribus. Initio quidem omnia serena videbantur: quoniam, variis negotiis publicis domi forisque paefectum, collaudabat semper dominus, et colebat; forumque, scholas, ὥραντορεῖον, immo vel stipem, egregie curantem et ordinantem,

tem, tota regio venerabatur; vxor autem, A. R. D. c^{lo} I^oCC XXI. d. XXII.
Januarii, IOANNAM MARIAM enixa, nouo munere familiam adficiebat. Ni-
hilo minus, anno post, interueniebant tempora turbidiora, quibus, iustitiam ma-
ioris quam gratiam aestimans, cum aliis, dimittebatur. Multo, quam ceterorum, cle-
mentior erat dimissio DOEHLERI, cumque pollicitatione conseruationis vterioris,
ac dignitatis amplificandae, coniuncta; modo flecteretur. Sed, obstinatus aduersus
tentationes, incertam spem eligere, cumque suis aegris aeger Francofurtum discedere,
maluit. Redibat igitur in patriam nostram, quod infortunii solatum erat, licet spes,
hinc adfulgens, distraheretur ac differretur. Viuebant in hac re publica, per aesta-
tem totam, vbi, iuris consulti partibus intentus ille, multis principibus aliquique per-
sonis, fructuosa consilia dabat. Parum abfuit quin, alias inter oblatas conditiones,
principis cuiusdam intimus, abiret Viennam. Cum vero, die circiter ante, quam,
spatio deliberandi capto, splendidissimam invitationem recipiebat, huc Geram voca-
retur: CELSISSIMORVM COMITVM venerationis, reique suae familiaris er-
go, priorem illam prouinciam recusauit. Veniebant huc, eodem anno, sub initium
decembris, sequentisque die XI. Ian., sollemniter illustri collegio, primarius in regi-
mine senatuque sacro consiliarius, sistebatur; donec, anno post, eminentissimis can-
cellarii praesidisque partibus, admoueretur. Quaerebat Gerae, velut agitata fluctibus
navis, familia portum, ac reperiebat. Singulatim vero mater familias laetabatur,
cum eam mascula subole, die XXI. septembris A. c^{lo} I^oCC XXIII., recens au-
geret. Sed, hunc etiam CHRISTIANVM GUILIELMVVM ostendit modo DEVS,
aetatis duodeuicesimo die, rursum erupturus. Solatio fuerunt reliquorum vtriusque
coniugii pignorum incrementa. Nuptias, in aedibus paternis, celebrabant laetissimas,
quatuor filiae. Scilicet ambae florentissimae virgines prioris, eodem anno c^{lo} I^oCC
XXVIII., dum altera d. VI. septemb. GÜNTHERO suo, altera d. VI. Iul. CHRIS-
TOPHORO LUDOVICO WILHELMI, doctori medico, nubebat. Hunc
posteriorem, cum d. XII. Ian. A. c^{lo} I^oCC XXXII. ad beatissimam vitam euchere-
tur, itidem singulari prolatione, laudauimus. Sequutus autem eum est, in coniugio,
c^{lo} I^oCC XXXVIII. iam memoratus, tunc Geranorum, nunc Isenacensium medicus.
Ipsius nostrae filia natu maior mihi, I. G. HAVPTMANNO, qui pietatis hoc officio
flebili fungor, copula benigniore, d. XV. Iul. c^{lo} I^oCC XXXV. iuncta, peperit, an-
no post, d. XXVIII. Maii, IO. GE. GOTTFRIDVM, c^{lo} I^oCC XXXVIII. d. VII.
Aug. CHRISTIANVM SIGISMUNDVM GUILIELVM, et c^{lo} I^oCC LII. d. X. Iul.
CHRISTOPHORVM CAROLVM GOTTLIBIVM; sed hunc eodem die mortuum.
Reliquorum incrementis, diuinam prouidentiam ardenter expetimus. Natu minor
filia, d. I. Maii c^{lo} I^oCC XXXII., nupsit CHRISTIANO GOTTFR. WEIDLICHIO, I. V. et Phil. D., CELSISS. COMITVM RVTH., in civili regimine
sacroque senatu, celebri cauſarum patrono: deditque IO. WILHELMINAM, paucos
dies viuentem; filiam, antequam nasceretur, defunctam; et IO. CHRISTIANVM
GOTTFRIDVM, natum d. XXVII. Ian. c^{lo} I^oCC XXXVII., et pluribus iam addi-
tum Februariis calendis. Infantem puerpera tertio die comitabatur, vtriusque pa-
rentum maximo iustissimoque luctui: dum potissimum indulgentissimus pater, hinc,
ad obitum vsque beatum, aut d. XVII. nouembris a. c^{lo} I^oCC XXXVIII., admo-
dum debilitabatur viribus. Aequa prosternebatur mater dulcissima; quam praeterea,
concordissimi suauissimique coniugis, mors omnino frangebat. Antea, plurimos annos,
tenui valetudine fuerat: sed, multo nunc tenuiore, se recipiebat ad vnam, quam in vi-
uis habebat, filiam. Nulli quidem operae pepercimus, vt morbosa, medicorum expe-
rientissimorum auxilio, confirmaretur: at spirandi difficultas et reliqua mala, quibus
libet remediis, potentiora videbantur. Tandem, hinc ab hebdomade quarta, terror
cum prolapsione coniunctus, febrim quam vocant catarrhalem adulit, quae, non ob-
stantibus vtriusque IENTSCHEI, patris filiique, celeberrimorum artis salutaris docto-
rum, sapientissimis curis, d. XV. Martii, post meridiem, mortifera fuit; cum socrus
optatissima vixisset annos LXIII., menses III., hebdomades III. diesque totidem, ac
duabus hebdomadibus ante, diuinis animum dapibus roborasset. Semper illa, quam
adrogantius, modestius agere maluit. Ita vixit, obiit ita, nec alia ratione sepelietur.
Efferetur corpus quidem, splendentibus facibus, ad vesperam: sed in animos maxime
nostros, beatissimae virtus inferatur, omni face splendentior, neque tempore quodam
extinguenda. P. P. Gerae d. XVIII. Mart. A. C. D. c^{lo} I^oCC LIII.

